



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Bene Meditandi**

**Berzetti, Nicola**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Meditationis patres quatuor.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)

*Meditationis Partes IV.*

**MEDITATIONIS**  
*partes quatuor.*

**M**EDITATIO quator parti-  
bus constat; *oratione præ-*  
*paratoriâ, Præludijs, Punctis, &*  
*colloquijs.* ORATIO præparatoria  
serè eadem est in omnibus medi-  
tationibus; & fit petendo gra-  
tiam à Deo, ut omnes vires &  
operationes nostræ sincerè ad  
eius gloriam & cultum dirigantur.

*Præludij* aliquando *duo* tan-  
tam, aliquando *tria* sunt; in me-  
ditationibus historiam aliquam,  
aut mysterium vitæ Christi, aut  
*B. Virginis, & Sanctorum conti-*

*nentibus,*

*Meditat. Partes IV.*

mentibus, *tria* sunt, in alijs duo  
tantum.

*Primum* Præliudium, cum duo  
tantum adhibentur, est expressio  
quædam & constitutio loci, vi  
potentiæ imaginativæ formata,  
quâ repræsentatur res aliqua, aut  
necessaria ad intelligendum, de  
indè clarius puncta, aut saltem  
aliquo modo connexa, & pro-  
portionata materiæ meditatio-  
nis, ut hac ratione ipsa etiam  
phantasia divino servitio manci-  
petur, & certo alicui objecto af-  
figatur, ne vaga hac & illac per  
plura & varia exeret.

*Secundum* fit, postulando à  
Deo id, quod quis exoptat,  
iuxta materiam & scopum

præpo-

*Meditationis.*

præpositæ meditationis.

Cum verò tria adhibentur, *Primum* Præludium est narratio brevis historię illius, quę meditando suscipitur sine aliquo discursu.

*Secundum*, imaginaria constitutio locorum, ubi peracta est historia, sive mysterium propositum.

*Tertium*, postulatio illius, quod pro diversitate materię consequi desideramus, velut finem meditationis. Puncta solent esse tria, aut quinque, plura, aut pauciora, pro capacitate materię, & sunt velut præcipua capita, ad quę omnia reducuntur, quę meditando occurrunt.

*Partes quatuor.*

In punctis exerceri debet *memoria*, *intellectus* & *voluntas*, quæ potentia subinde, dum opus est adjuvantur à phantasiâ.

*Memoria* suggerit, & repræsentat materiam pro meditatione præparatam, & necessitate exigente alia sive lecta, sive audita, quæ ad rem faciunt, & meditationem fecundiores reddunt.

*Intellectus* discurret circa materiam à memoriâ propositam, apprehendendo, iudicando, concludendo, unum ex alio deducendo. Res deinde circa quas intellectus occupatur, ubi non agitur de mysterijs vitæ Christi, aut Sanctorum, variæ sunt, pro varietate punctorum; in mysterijs

autem

*Meditationis*

autem vitæ Christi, aut Sancto-  
rum, sunt personæ, verba, & o-  
pera in genere loquendo: in par-  
ticulari vero magis cogitationes,  
affectus interni, qualitas, condi-  
tio, sive status, dignitas, & virtus  
personarum; modus & finis ope-  
rationum; imo etiam causæ, effe-  
ctus, tempus, & aliæ circumstan-  
tiæ, quæ ad meliorem mysterij  
cognitionem momentum affe-  
runt.

Modus porro, quo Intellectus  
ordinariè utitur in quavis medi-  
tatione cuiusvis materiæ, est, in  
suis discursibus adhibere ratio-  
nes & similitudines, à seipso ex-  
cogitatas; vel similitudines, e-  
xempla, & rationes ex sacris lit-

teris,

*Partes quatuor.*

teris, sive alijs bonis auctioribus  
petitas. & postquam veritatem  
rei benè intellexerit, ac penetra-  
rit, voluntati varia motiva, ne-  
cessitatis, utilitatis, delectabilita-  
tis, honestatis, facilitatis propo-  
nat; donec eam ad amplecten-  
dum vel fugiendum id, quod  
proponitur permoveat.

*Voluntas* movetur rebus sibi  
ab intellectu propositis, excitando  
in seipsâ amorem, vel odium,  
desiderium, vel horrorem; spem,  
vel desperationem; avaritiam vel  
timorem; gaudium vel tristi-  
tiam; compassionem vel iram;  
pro diversitate materiae, & moti-  
vorum ab intellectu proposito-  
rum. possunt deinde dilatari, aut

excitari

### *Meditationis*

excitari de novo, similes affectus multis modis: Exempli gratia, per modum admirationis, humiliationis, imitationis, laudationis, obsecrationis, petitionis, Prosopopœiæ, repræsentationis, oblationis, gratiarum actionis, & similes.

*Phantasia* proponit loca, vultus personarum, motus, situs, magnitudines earundem rerum, prout exigunt aliæ potentia, quò facilius, efficacius, & vivacius operentur.

*Colloquia* possunt fieri plura aut pauciora, consistunt in hoc, ut qui meditatur, quoties affectu ad hoc impellitur, tam in progressu meditationis, quàm in fine

eiuf.



*Pater quatuor.*

eiusdem loquatur cum Deo, B. Virgine, Angelis, aut Sanctis, nunc gratias agendo, ut iam dictum est; nunc seipsum offerendo, nunc petendo, nunc detestando, nunc consultando, seu deliberando, nunc aliud agendo, prout meditatio ipsa, aut propria cuiusvis necessitas id postularit; subinde personam filij loquentis cum Patre, aliàs sponsæ conversantis cum sponso; aliàs amici cum amico agens; aliàs servi cum Domino; aliàs Rei Iudicem deprecantis, prout Spiritus S. dictaverit, assumendo.

Colloquia, porrò, quæ in fine fiunt, cōcludi solent aliquâ oratione vocali ad eas personas dire-

cta,

*Praxis Meditandi*

Etia, cum quibus ipsa colloquia  
instituta fuerunt.

*Praxis Meditandi.*

**P** R I M ò qui mane meditati-  
tus est, pridie bis teruè atten-  
tè legat materiam meditationis:  
prævideat diligenter qualia de-  
beant esse præludia, unum aut  
plures sibi scopos, pro materiae  
capacitate statuatur, advertat quid  
circa puncta considerari possit,  
in particulari in materijs vitæ  
Christi, & Sanctorum observet,  
Personas, Verba, Opera, quæ in  
quolibet illorum continentur.

*Secundò post cubitum ante so-  
mnum, modico temporis spatio,*  
quo